



Nr. 14

42

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM
DODECADIS POSTERIORIS
QVARTA,
DE
REGENERATIONE,
NEC NON DE PERFECTIO-
NE GRADUUM, SEU
avauagnoia ABSOLUTA, RE-
GENITIS PERPERAM
TRIBUTA.

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

die Febr. hujus M DCC XXI. anni

SVB PRÆSIDIO

D. JOACHIMI LANGII,

S. THEOL. PROFESS. ORDINARII,

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

GOTTLOBIUS FRIDERICUS *Rude/*

LAUBA HEXAPOLITANUS,

S. S. THEOL. ET PHIL. STUDIOSUS.

b5

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

DOCEGADIS POSTRIORIS
QARTA
REGENFRATIONE
NECNON DEPERECHOE
NAGRADUM SEU
GENTIS TRETKAM
TRBUA
MAV
IE RECIA TRIDERCIANA
SABTRESIDO
DYOACHINILANGHII
GOTTOUNE TRIDERCISG
SEATHEDOCS
TEATHEDOCS
TEATHEDOCS



DISSERTATIONIS
DE
REGENERATIONE
SECTIO PRIOR
DIDASCALICA,
Veram sententiam hujus doctri-
næ exhibens.

PROPOSITIO I.



Egeneratio est collatio
vitæ spiritualis, &, ex
parte hominis, nativi-
tas spiritualis.

DEMONSTRATIO.

§. I. Hanc regenerationis proprietatem indicat
status hominis naturalis; secundum quem is est spiritua-
liter mortuus, seu mortuus in peccatis Eph. II, 1. Col.
A 2 II, 13.

II, 13. atque ita vita, quæ ex Deo est, & multo magis viribus in spiritu ac nova vita ambulandi, destitutus Eph. IV, 18. 2 Cor. III, 5. Col. I, 12.

§. II. Eandem confirmant illa scripturæ loca, quæ regenerationem respectu Dei sub figura *excitationis a mortuis*; respectu hominis sub imagine *spiritualis resurrectionis* & transitus e morte in vitam proponunt. Vide Jo. I, 13. Rom. VI, 3. seqv. 13. Ephes. II, 5. V, 14. Col. II, 12, 13. III, 1. 1 Jo. III, 14.

§. III. Hoc vero ipso *resuscitationis* & *resurrectionis* spiritualis sensu vocem *regenerationis*, quæ, proprie de Deo dicta, ex parte hominis spiritualem notat *nativitatem*, accipi, res ipsa indicat. Videatur ea Jo. III, 3, 5, 6, 7, 8. Jac. I, 18. 1 Petri I, 3, 23. II, 2. confer Tit. III, 5. Et quia in regenerationem *νωθεσία* incidit, regen-
nati passim *fili* *Dei* dicuntur. Regenerationis vero vocem esse significantissimam, & cum humanæ natu-
ræ, quam secundum communem nascendi fortem ha-
bemus, corruptionem & *ἀδυνατία* summam; tum di-
vinæ operationis, qua fit regeneratio, efficaciam no-
strique mutationem intimam & maximam indicare,
hic, tanquam datum, suppono.

XII. PROPOSITIO II.

Regenerationis & nativitatis spi-
ritualis synonyma biblica pro diver-
sitate respectus sunt varia, empha-
seos gratia itidem probe notanda.

DEMON-

DISSERTATIO QUARTA.

5

DEMONSTRATIO.

1. *Conversio* a tenebris ad lucem, a potestate satanæ ad Deum viventem Act. XXVI, 18. conf. Act. III, 26. 1 Petri II, 25. n. r. λ. *Penitentia* quomodo huc pertineat, res ipsa docet.

2. *Illuminatio*, quia *vita* spiritualis per se etiam divina *lux* est, spiritualiter videndi facultatem adferens. Unde etiam ipse Christus tanquam *vita* dicitur factus esse *lux hominum* Jo. I, 4. & *regeniti* dicuntur *filii lucis* Ephes. V, 8. 1 Theſi. V, 5. conf. Hebr. VI, 4. X, 32.

3. *Creatio*, unde homo regenitus dicitur καὶ νέος, nova creatura Psalm. Ll, 12. Eph. II, 10. 2 Cor. IV, 6. 2 Cor. V, 17. Gal. VI, 15. conf. Jac. I, 18.

4. *Circumcisio cordis* Rom. II, 29. Col. II, 11, 13. confer omnino Deut. X, 16. XXX, 6. Jer. IV, 4. VI, 10. Phil. III, 3. Unde non renati dicuntur ἀνεγένθητοι, non circumcisisti corde & auribus. Act. VII, 51.

5. *Inſilio in Christum* Rom. VI, 5. conf. Jo. XV, 1. seqv.

6. *Translatio* e potestate tenebrarum in regnum Filii Dei. Col. I, 12, 13.

7. *Plantatio ad rivos aquarum* Psalm. I.

8. *Inscriptio legis*, qua Deo respectu cordis nostri tribuitur, & qua indicatur *collatio* evangelica eorum virium spiritualium, qua ad vitam interiorem & exteriorem legi conformem necessariae sunt. Jer. XXXI, 31, 32.

9. *Cordis mutatio* ea, qua pro corde faxeo ablato cor carneum, seu tenerum ac molle, donatur. Ezech. XXXVI, 26, 27.

A 3

10. Do-

10. *Donatio mentis Christi*, per quam mentis nostræ integra fit μεταμόρφωσις. 1. Jo. V, 20.

PROPOSITIO III.

Præcipue notandum est illud regenerationis Synonymum, quod est accensio fidei, seu collatio virium credendi.

DEMONSTRATIO.

1. Deus Act. XVII, 31. dicitur *unicuique offerre fidem* h. e. vires credendi, ita, ut fidem in iis, qui gratiæ prævenienti & præparanti obicem haud ponunt, accendat, & hac ratione ipsos regeneret. Nam cum fides sit *lux & vita spiritualis*, accipere fidem est accipere vitam & lucem spiritualem, immo fieri lucem in Domino. Ephes. V, 8.

2. Præcipue hic notandus est locus Eph. I, 19, 20. ubi Ephesi regeniti dicuntur experti ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως τῷ Θεῷ, excellentem magnitudinem potentiae Dei, & credere secundum efficaciam roboris virtutis ejus, & quidem virtutis, quam exseruit in Christo, cum ipsum e mortuis excitavit. Ubi observandum est, excitatum in Ephesi sive opus septuplici emphasi describi. Primo enim dicuntur experti δύναμις, & cum hoc non fatus esset emphaticum, Paulus præmittit vocem μέγεθος, & huic vocem ὑπερβάλλον, ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως. Et cum dicere potuisset; credimus secundum efficaciam ejus, κατὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτῷ, ponit κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῷ κεδάτῳ, secundum efficaciam roboris: & quandoquidem

DISSERTATIO QUARTA.

7

quidem neq; hæc auctæ emphaseos locutio abundantia affectus satisfaceret, addit vocem, *nostris ihesuctos, virtutis ipsius;* & cum neque ista sermonis *deusteris* ipsi sufficeret, insuper addit, non minus divinæ potentiae demonstratum esse in excitatione hominum e morte spirituali, quam *demonstratum sit in excitatione Christi e morte naturali*, significans regenerationem, in qua vita fidei excitetur, adeo non esse opus humanarum virium, ut in eo singularis & excellentissima Dei efficacia excellentiori modo se exerat.

PROPOSITIO IV.

Regeneratio non pertinet ad ultimum & summum vitæ christianæ complementum, sed ad ejus constitutionem & solida initia.

Quod liqueat

1. *E propositione prima*, ubi demonstratum est, resurrectionem nihil esse aliud, quam vita spiritualis collationem, & spiritualem resurrectionem.

2. *E propositione secunda*, ubi regenerationis synonyma idem comprobant.

3. *E propositione tertia*, ubi ostensum est, regenerationem esse excitationem fidei: a fide autem, quæ caritatis fœcunda mater est, ipsa christianismi practici fundamenta surgere, nemo nescit.

PROPO-

PROPOSITIO V.

Regeneratio justificationem ita continet, ut illa hac natura sit prior & hæc in illam incidat.

DEMONSTRATIO.

1. Constat hoc *e natura & officio fidei*, cuius *excitatio* est ipsa *regeneratio*. Jam vero fides eo ipso momento, quo excitatur, pro natura sua relativa, se statim refert ad Christum, in justitiam apprehendendum, & hac ratione est justificans, adeo ut fides, Christum nondum ad justitiam apprehendens, adhuc sit nulla fides, nimirum recte, seu complete, constituta. De motibus enim præviis hic non est sermo. Atque ita regeneratio ipsam justificationem non potest non continere, ita, ut quæ ordine naturæ ea est prior, ordine temporis cum ea simul existat.

2. Idem comprobant regenerationis *synonyma*, præcipue illa, quæ sunt in *conversione & infitione* in Christum. Etenim sub *conversionis* notione respectu fidei, quæ præcipua ejus pars est, simul justificationem, quando hujus non peculiaris fit mentio, notari, notius est, quam ut demonstratione egeat. Et quo modo regeneratio infisionis naturam habere posset, nisi contineret justificationem, qua Christum induimus?

3. Et hoc est, quod ipse vocum *regenerationis & justificationis*, solitarie positarum, *usus biblicus* confirmat. Sufficiat nunc duo hic loca classica allegare. Jo. III, 3, 5, 6, 7. regenerationis necessitas ad aditum vita æternæ urgetur, nulla facta justificationis mentione: & Rom.

V, I.

V. i. fideles dicuntur *justificati*, & vi *justificationis pacem* habere cum Deo, nulla *regenerationis* mentione injecta. Ubi manifestum est, priori loco intelligi *regenerationem*, quæ includat *justificationem*; posteriori vero *justificationem*, quæ supponat *regenerationem*, eodem temporis ordine factam.

PROPOSITIO VI.

Doctrinæ de regeneratione integritas requirit, ut opponatur ex una parte solida ejus veritas & *πίστης* pharisino, nonnisi superficiariam naturæ incrustationem molienti; ex altera vero ejus imperfectio perfectissimo, ut ita loquar, pseudomystico, quo illa *justificationi*, eique falso creditæ, etiam ordine temporis postposita, ad absolutam *αναμαρτυρίαν* extenditur.

DEMONSTRATIO.

1. Primo isti, seu *Pharisaismi*, extremo, in quo pseudochristianos omnes, etiam illos ordinis alias *Epicuri*, quando per certa temporum intervalla Pharisæos agunt, hærere videoas, medetur universa hujus B doctrinæ.

doctrinæ tractatio, quam antecedentes quinque propositiones habent; utpote quarum singularum ratio ita est comparata, ut nonnisi quod verum, genuinum, solidum ac efficacissimum est, de regeneratione admittat.

2. Extremum posteriorius præter alios est viri clarissimi, Petri Poireti, uti sectione hujus Dissertationis posteriore videbimus. Illi vero recte opponimus

a) *Indolem & proprietatem regenerationis* eam, secundum quam hæc non ad renovationis complementum, & quidem ultimum ac consummatum, quale vita æterna habebit, sed ad ejusdem primam constitutionem, seu ipsa solida christianismi prædicti initia pertinet, uti vidimus propositione IV.

b) *Exempla regenitorum*, in singulis ecclesiis Apostolicis, in Apostolorum scriptis ita descriptorum, ut pro aboluta *āvapprnta* ipsis tribuatur, seu injungatur, *studium proficiendi*, & quidem ut in expurgatione & depositione reliquarum peccati, sic etiam in sanctimoniae studio & exercitio honorum operum, quemadmodum vel ipsis catechumenis est notissimum, ideoque demonstratione peculiari haud eget.

SECTIO

SECTIO POSTERIOR
ELENCTICA,
Erroribus ac corruptelis Poireti-
anis, Oecon. L.V.c.IX. p.539.sqq.
opposita.

Locus I. §. VIII. p.544.

Statum justificationis immediate subsequitur regeneratione, seu Renovatio ac Resurrecio spiritualis. Per hanc deum homo vere fit ac est christianus. Antea vero non nisi catechumenus, atque desiderio christianus erat: tam magnifici vero nominis mensuram coram Deo vere non adhuc implebat.

Disquisitio hujus loci.

1. Ut arcena telam e se ducit ipsa; sic Poiretus doctrinam de regeneratione, uti illam de justificatione, non e pandectis sacris, sed e proprio ingenio & Burignoniana isagoge desumit; quemadmodum ostendit hoc ejusdem exordium, & integer tractationis progressus evincet.

2. Regenerationem propriè dictam & dicendam actum justificationis, immo & statum ejusdem ipsum, subsequi, falsum est, uti e præmissa demonstratione liquet.

3. De voce renovationis hic nihil nunc dicam, cum renovationis initium in ipsam regenerationem incidat.

4. Grande istud ὁτεζον πρωτεζον, quo homo post

justificationem, & quidem talem, quam Poiretus describit, demum per regenerationem fiat verus christinus, discussum vide sectione priore.

Locus II. §. IX.

Observandum autem est, ne vocis ambiguitas errorem inducat, quod si per regenerationem totum negotium, quo nova pedetentim creature efformatur, intelligas, ipsa justificationem precedat; sic enim formationi embryonis responderet, qui anequam erit, & cum perfecta creature in lucem prodeat, in utero materno effigiatur, progenatur, & absolvitur. At vero ubi regenerationis sensu magis proprio nativitatem spiritualem creatureque novae & in Christo jam formatae productionem designat, quomodo hic eam adhibeamus; purificationem ac justificationem subsequitur.

Dilquisitio hujus loci.

1. *Auctor, lectorem suum ab ambiguitate sensus liberaturus, eidem ipsum involvit, ut videbimus. Theologis non solum loquendum, sed etiam sentiendum est cum Scriptura sacra. Atque ita locutiones bibliæ non nisi sensu biblico accipiendæ sunt. Ab hoc vero discedere Poiretum, e præmissa tractatione didascalica, cum ipsius theologumenis collata, liquet.*

2. *Proprio & biblico regenerationis sensu rejecto Auctor hic sensum aliquem non solum improprium, sed totum etiam, quantus est, commentitum substituit, lectori persuadens, eum esse magis proprium.*

3. *Suo loco videbimus, justificationem ab Auctore nostro usque ad summum renovationis, pro cuius declaratione eam accipit, gradum extendi; & nihil*

nihilo tamen minus regenerationem hic per *creatūrā novā & jam formatā productionē* describit, eamque justificationi suā postponit. Quae sane chimærica est salutis oeconomia!

4. Paragraphum X. cum duobus sequentibus huc transcribere nolo. Sufficiat, istos una atque altera observatione illustrare ac sub examen vocare.

- a) Auctor regenerationem & regenitos suos ibidem ita describit, ut ipse inter illos locum invenire possit nullum; quemadmodum ipsa sua Oeconomia abunde prodidit.
- b) Justificatus Poiretianus summum *renovationis* (cujus declaratio ipsi *justificatio* est) gradum obtinuit, ut Dissert. IX. X. & XI. videbimus; nec tamen adhuc orare potest. Etenim in regeneratione, quam justificationi suā postponit, immo post eam, *demum rite orare incipit*. p. 545. Quas doctrinæ scopas indicasse, est tanquam dissolutas disjicisse.
- c) Mysticorum scriptorum commendatio Poiretiana admodum est inconclusa, et si Mysticorum plurimi in doctrina minus corruptelarum habent, quam ipse Poiretus.
- d) *Regenitos*, quales Auctor comminiscitur, & eos falso quidem, ut p. 546. ait, *sacrārum paginārum veraque theologiae veritatem sōlād intelligere, ID QVE NULLA VEL LITERARUM, VEL LINQVARUM, VEL LOGICES SIMILIUM QVE INEPTIARUM PERITIA ADJUTOS*, præcipitatum & falsissimum est effatum, viro docto indignum. Aliud est,

indoctis, at vere regenitis & illuminatis, veram & salutarem Dei & Scripturæ intelligentiam in rebus ad salutem necessariis tribuere, & hanc negare inapiis; aliud id facere cum contemtu subsidiorum, ipsasque litteras, quarum monumentis sacer codex consignatus est, & ipsum sanioris rationis usum, sub nomine logices, & alia ejusmodi subsidia, uti sunt cognitio historiæ & antiquitatum &c. *ineptias* & *ineptiarum peritiam* vocare. Quod si Auctor vel solas rationis suæ ineptias, (ut ipsius verbo utar,) falso creditas in consilium adhibuisset, ab his & aliis veri nominis ineptiis certissime abstinuisse.

e) Vere regenitos esse columen ac salem terræ, & saepe tamen pro mundi purgamentis & malesanis haberi, verum ac dolendum est: sed non minus etiam compertum est, Poireto etiam salem & lumen fatuum esse, seu videri, genuinum.

5. Paragraphus XIII. una cum XIV, XV. & XVI. sermonem habet epanorthoticum, partim in regenerationis affectatores, partim in ejusdem contemtores, ad examinis hujus institutum proprie haud pertinentem, ideoque hic prætermissum, et si nec in eo desint animadversione aliqua haud indigna.

6. Et hanc cpanorthosin continuari video §. XVII. XVIII. & XIX. Ubi quidem non decit, quod probes; sed nec ea, quæ jure improbamus, absunt. Nam non solum censor est acerbus in ordinem docentium generatim, in eo regenitos vel Phœnices ratiore pronuntians; sed etiam estimator est inconsultus

tus & effusissimus Burignoniæ, magistræ suæ; utpote quam existimat suo tempore sui inter mortales similem haud habuisse. Præterea invehitur in eos, qui si bi desertionem muneris publici & vitæ anachoreticæ electionem vitio verterunt.

7. Paragrapho XX. & duobus sequentibus *regenitos* distingvit in tres classes, *infantum*, *adultorum* & *virorum*, recte quidem per se, sed sensu non ubivis fano. Duobus vero proximis paragraphis, nimirum. XXIII. & XXIV. causas edisserit, cur Deus regenitos, *si quando dentur*, non potius ex hac vita evocet? Paragrapho XXV. & sequentibus aliquot hypothesis suarum difficultates solvere laborat. Ubi ipse iterum audiendus erit.

Locus III. §. XXV. p. 553.

Transimus jam ad difficultates nonnullas iis, que de regeneratione tradidimus, hactenus annexas. (I) Principio, inquiet: *si inclinationes omnes, primique adeo regeneratorum motus ad bonum semper ferantur, colligendum erit in regeneratione nullos concupiscentie stimules superesse, adeoque & nullæ pugnæ materiam.* Quid igitur dicendum erit de tot Scripturæ S. dictis, que certe homines vel maxime regeneratos bortantur, ut contra mundum, carnem atque peccatum pugnare pergent? nonne Paulus de se ipso fatetur; Rom. VII, 19. se bonum quidem quod vellet, non facere, malum vero, quod facere nollet, perpetrare? nonne oportuit, ut Deus, quo a fastu eum præservaret, angelum Sathanæ ipsi mitteret 2 Cor. XII, 7. qui ad humilitatem eum deprimeret?

Quid

Quid vero istis opus erat? Quid opus pugnare, seque pre-munire, siquidem hostis nullus superst.

Disquisitio hujus loci.

1. Auctor difficultates movet tantum, non autem amovet, nec solvit. Et quando eas, §. XXVI. vocat *rricas*, quibus *spiritus tenebrarum ac confusorum opus Dei obiectum velit*, haud obscure prodit, se per injustum iustæ indignationis affectum ad inquisitionem veri redditum esse ineptum.

2. Primo p. 554. seqq. prolixo sermone similitudinem de pugna, seu bello, per omnes partes operose contexit, & hanc ipsum §. XXVII. p. 556. seqq. ad statum regenitorum non minus prolixe applicat. Summa hoc redit, quod renatus in interioribus suis, h. e. in corde, desiderio, amore, consensu, & animæ fundo, tanquam in castro suo munito, *nullum amplius hostem, nullum amplius peccatum, nullum pravum motum*, qui ex interioribus surgat, habeat ac sentiat; in exterioribus vero, h. e. in ratione, imaginatione, sensu & corpore, tanquam in regione externa, hostibus circumdetur, ipsorumque insultus experietur, ita ut ipsa etiam interiora munimenta rursus expugnari & occupari possint, si sibi ipsi desit.

3. Hæc quidem singula speciosa sunt, sed nihil probant, cum iis autem, quæ supra Sect. I. de regenerationis indole & regenitorum statu adstructa sunt, collata per se concidunt. Cum vero explicandæ hypothesi suæ §. XXVIII. prolixius inhæreat, denuo potiora ejus verba hoc transcribam.

Locus

Locus IV. §. XXVIII.

Certissimum est, in corde regenerati concupiscentiam nullam superesse, neque ullum amplius desiderium pravum ex fundo ipsius pronasceri; intimos ejus recessus, proclivitates, inclinations & affectiones in pacem cum Deo redisse, in vita jam fontem transformata; nihil denique mali in corde ejus debellandum restare; nihilominus imaginationem, sensus, carnem, & quæ eam reficiunt objecta, inimicus veluti regiones externas & agros quosdam circumiacentes perverrat, eorumque ope animam impedit: verum impetus isti non nisi ab externis accedunt, ad interiora licet tendant: Et tunc quidem in conflictibus ac pugnis, contra ea quæ jam foris sunt, contra carnem, mundum & diabolum, anima regenerata diligentissime se ipsam tuebitur, ne forte secundo pereat: hostis namque rationi ac imaginacioni non raro res pravas ideasque tum excellentiae ac glorie, tum abundantiae & luxus, tum deliciarum atque voluptatis suggerit: quibus ea si aures prebeat, hostis reddit in animam: si vero indignabunda istae rejiciat, non modo non delinquit, sed & hoc nomine Deo magis placet. Ipsa etiam caro in regeneratis crassa adhuc & bruta est, & proprio quodam pondere ad sui studium sensumque delicias abripitur. &c.

Item paulo post p. 558. Quando anima in Deo carnem penitissime edomuit, hostes eam actu amplius impetere non audent; quomodo inter sanctos fuere, qui viginti forte aut triginta annorum spatio nec levissime tentati sunt, satana, ubi animam fortē videt & attentam, opera pretium non reputante eam frustra velut cum damno ac ludibrio suo tunc quidem laceſſere, licet oculos tamen ab ea non avertat, sed

C

foribus

foribus perpetuo adset, obsidione eam cingens, utut & pugna despat. - - - Et quemadmodum in bello cives non raro externa & suburbana igne exurunt, si hostis in iisnidulari & refugium sibi parare queat; ita & sancti corpora sepe sua durissime habuerunt, sanctoque quodam servoris actu ea macerarunt & tantum non subruerunt, veriti ne diabolus eo se conjiceret: ille siquidem ex quo ex corde jam sanctifica-
zo ejclus est, illic fere refugium sibi ac nidum querere so-
let.

Disquisitio hujus loci.

1. Etiam in regenerati corde concupiscentiam superesse &c. et si non dominetur amplius, supra Sect. I. probatum est.

2. Atque ita si non superbæ, tamen erroneæ, mentis effatum est, nihil mali in corde regeniti debellandum restare, superbiam, malum omnium spiritui insidiosissimum & maxime exitiale, alens.

3. Quod in imaginatione, sensu & carne, seu corpore, peccatum hospitari nequeat, nisi simul residat in anima & inde hæc exteriora infestet, itidem ex iis, quæ supra Sect. I. tradita sunt, liquet.

4. Merum commentum est, animam vere regenitam carnem ita penitissime domuisse, ut hostes non audeant eam actu amplius impetere. Si enim protoplastos & ipsum Dei Filium simpliciter *avasigntov* impetierunt; quidni potius audeant istos impetere, qui ab ipsorum statu absunt quam longissime.

5. Auctor superstitionis, seu pseudomysticam, prodit credulitatem, quando dicit, *inter sanctos frisse, qui*

DISSERTATIO QUARTA.

19

qui viginti forte aut triginta annorum spatio ne levissime quidem tentati sunt. Ubinam hujus rei documenta sunt? Ipsi sancti id sunt confessi, ait Poiretus. Nec enim hoc aliunde, nisi ex ipsorum testimonio, constare potuit. Verum ipsa haec confessio grave, et si speciosissimum, & vere splendidum, fuit mendacium ac peccatum, e peccandi consuetudine per viginti istos aut triginta absolutæ, at falso credita, ἀναπαρτοῖς annos continuata proveniens. Veteres ascetae dixerunt, non sentire temptationem, gravissimam, certe periculosisimam esse temptationem. Et hos credo altius & ulterius in studio sanctimoniacus fuisse projectos, quam istos sanctitatis jactatores. Memini, me semel atque iterum ex amico aliquo fide dignissimo audire, quomodo fletur Poiretus, ab eodem de sanctis istis consummatis interrogatus. Cum enim hic eum, in itinere per Belgum factò, salutatum rogasset, ut sibi aliquot ejusmodi sanctos, quales ipse cum mysticis, tanquam obvios, sibiique notissimos, describat, in Hollandia ostenderet, ædificationis gratia invisendos, adjecta asseveratione, te vel unum inventum pro universi itineris pretio, seu præmio, esse habiturum. Suspensus primum siluit, mox autem dixit, se quidem unum nosse, sed hunc nullam sui copiam facere, deinde adjiciens, Burignoniam suam tallem fuisse. Verum enim vero quemadmodum in vita ejus typo, qui hunc curatius perspectum habuerunt, nihil minus invenerunt: sic, quin idem de altero illo latitante dicendum fuisset, quis dubitaret?

6. Ultima allegati loci periodus de cibis in bel-

C 2

lo,

lo, ut tueri possint interiora, externa & suburbana igne exurentibus, in applicatione ad voluntariam & durissimam corporis afflictionem, macerationem & tantum non subversionem, papatum, & in eo superstitionisimi monachatus *ἀνθεῖστα* martyria redolet & tacite commendat. Et isti discipline, tanquam carnicinæ, revera quandam *αὐτοχερίας* speciem subesse, res ipsa docet. Non *ἄλογον* & brutum, sed *λογικὸν* & *πνευματικὸν* sui cultum Deus requirit.

Locus V. §. XXIX. XXX. p. 560.

At vero, aliam nobis hic difficultatem reponent, aut potius priori resumta, ea, quæ ex responsione nostra colligi posse videntur, urgebunt: Ergone, inquiet, fieri unquam potest, animam vere regeneratam adeo puram esse, ut nulla omnino mala propensio, nullæ concupiscentia, nullumque desiderium pravum in corde ejus resulet, & in tanta puritate ad mortem usque intemeratam se tueri possit & debeat: id si ita esset, homo hac in vita sine omni peccato seu impeccabilis (sit venia verbo) foret uiique. Nonne vero contrarium tum Scriptura docet, tum experientia confirmat?

RESP. Maxime vero, impeccabilitas (liceat sic loqui) seu peccandi impotentia, tum Scripturæ, tum experientie contraria est: sed absit, nos doctrinam istam negligentie atque securitatis tradere, qui potius, nullum dari posse justificatum aut regeneratum dicimus, quin peccare, & quidem letaliter, atque adeo finali clade perire queat. At vero aliud est peccare posse, aliud actus peccare: aliud item posse non pecca-

peccare. Sancti actu non peccant, possuntque [cum Dei gratia] non peccare: fueruntque inter regenitos, qui inde a regenerationis sue primorio ad finem usque vite nullum amplius peccatum admiserunt. Haec stupenda dicent & incredibilia! Anne vero divinae gratiae efficacia tanta non erit, ut hoc ipsum possit? Et num erravit Paulus, ubi dixit, i Thess. V, 23, 24. Deus pacis vos sanctificet & penitus perfectos reddat, (sequor vim textus sacri) totusque uester Spiritus, animaque & corpus sine labe conserventur ad adventum Domini nostri Iesu Christi? Ergone operavit impossibilia, atque ut ea possibilia esse doceret, errorem errore obexit, ubi addidit: Fidelis est (Deus) qui vos vocat; atque ista efficit? Quot vero inter sanctos idem sua edocendi sunt experientia & imposterum edocebuntur? Ergone vetus Adamus, qui in minimis Dei mandatis observandis innumeratas difficultates invenit, ex suo ingenio novum iudicabit hominem, qui in ipsis gaudia sua, thesauros, delicias & vitam reperit?

Disquisitio hujus loci.

1. Concedit quidem Auctor potentiam peccandi, seu fieri posse, ut regeniti peccent. Negat vero istos actu ipso peccare, contendens eos omnino posse non peccare, adeo ut nulla omnino mala propensio, nulla concupiscentia, nullumque desiderium pravum in corde ipsorum restet & ad mortem usque se exserat. Quod assertum sane fundamento caret.

2. Primum quidem argumentum suum Auctor desumit a divinae gratiae efficacia. Sed manet isti sua efficacia magna & maxima in tollendo & avertendo

C 3 pec-

peccati dominio, & in reliquis ejusdem magis magisque expurgandis. Ulterius gratiae efficaciam in hac vita extendere, est sapere supra id, quod scriptum est; uti e Sect. I. liquet.

3. In loco Pauli 1 Thess. V, 23, 24. Auctor vim textus Græci secutus (uti habet ejus parenthesis) sibi contradicit ipse, quia supra p. 546. litterarum & lingua- rum peritiam in Scripturæ interpretatione ineptias vocavit.

4. Ad ipsum vero locum Pauli quod attinet, is Auctori nostro adeo non patrocinatur, ut potius ipsius hypothesi valde sit contrarius. Id quod e sequen- tibus liquet observationibus:

- a) Ecclesia Thessalonicensium una erat e præstan-
tissimis, ad Pauli votum præ multis aliis com-
posita. Unde ejus membris Paulus tribuit ἔργον
τῆς πίστεως, opus fidei, κόπον τῆς ἀγάπης, laborem
caritatis, & ὑπουργὸν τῆς ἐλπίδος, patientiam spei c. I.
3. item ornat Thessalonenses encomio evange-
lii, in spiritu & potentia cum magna pleropho-
ria inter durissimas afflictiones quam lubentissime
recepti, & imitatione Christi comprobati. v. 5. sqq.
conf. c. II, 13. Taceo reliqua status Thessaloniken-
sium egregii testimonia. Dubitari itaque ne-
quit, ipsos fuisse vere regenitos. Si vero jam
fuerunt regeniti, sequitur, regenitos, eosque
præstantissimos & fidelissimos, nondum adeo esse
perfectos, ut nulla in iis amplius adsit mala pro-
pensio, nulla concupiscentia &c. Cujus nega-
tionis ratio manifesta est in loco Pauli ab ipso
Aucto-

Auctore adducto. Nam Apostolus ipsis nequam jam tum tribuit ejusmodi perfectionem, sed, ut ad eam magis magisque contendant, & in ea aliquando coram Domino in adventu ejus gloriofo compareant, exoptat: addens, Deum hoc ipsum pro fidelitate sua EFFECTURUM ESSE, non, jam tum effecisse.

b) Paulus apud Thessalonenses urget τὸ περιστέμενον μᾶλλον, & quidem ratione futuri. c. IV, 1, 10. Hoc vero ipsum etiam de continuanda reliquiarum peccati expurgatione intelligendum esse, non solum indicat res ipsa, sed integer etiam contextus, præcipue consequentium.

5. Quæ cum ita sint, locus Pauli ipsi Auctori omnino obstat, & per se concidunt, aut evanescunt isti colores, quos ornandæ sue hypothesi sub adducti sermonis sui finem adhibuit.

Locus VI. §. XXX. p. 560.

Utrique nemo mortalium, qui ex Adamo orti sunt, ante regenerationem suam non peccavit: significant id infinitæ Scripturæ sententiae, quas vetus Adamus accuratius callebat ad unguem, quam eas, qua necessitatem Sanctificationis ac perfectionis urgent; quandoquidem ille iniquitatæ sue midum sub iis occultare studet. Huc pertinent, verbi gratia, ea Scripturæ verba, que dicunt, Ecclesiast. VII, 20. neminem esse, qui non peccet. Psalm. CXLIII, 2. neminem viventium coram Deo iustificatumiri. Cilibet dicendū est, se,

se, remitte nobis peccata nostra; 1 Job. I. v. 18. si dicamus, nos peccatum non habere, nos mentiri: aliaque non pauca, quibus accedunt exempla Davidis, Salomonis, Petri, & aliorum. Sed conscientiam lectorum teſtor, utrum his indicetur, hominem qualicunque gradu conſtitutum ſive corruptionis, ſive conversionis, ſive regenerationis, ſemper peccare, nunquam justificatum iri, & quotidie iniquitatibus ſe involvere? Si eorum, qui inter homines robusti ſunt & perfecti viri, unum aut alterum ſemel per voluntariam diſtrationem, oculis a via ſua ad alia perlustranda aberrantibus, cadere evenit, num hinc colligere licebit, hominum neminem ambulare poſſe, quin cadat? Evidem, non magis Diaboli abominor, quando ut Chriſtum perdat, regnumque proprium infernale erigat, Scripturam ipſi allegat, quam infelicem hunc scripture abuſum deteſtor, quo puritati eam ac perfectioni operis Spiritus S. opponunt. Nonne meridiana luce clarius eſt, iſta Scripture verba non niſi de in loqui, qui ad regenerationem nondum promoti ſunt, & in corruptione, aut ſi mavis circa conversionis ſue initia adhuc verſantur? Fuerit-ne Salomonis ea ſententia, neminem hominum, quemcunque etiam flatum attigerit, non adhuc peccare? Quiigitur dixit idem, Proverb. XXVIII. v. 13. ut gratiam obtineat homo, oportere ut peccata ſua reliquerit? Anne David absolute voluit, neminem viventium quocunque in ſtatu verſetur, coram Deo iuſtificatum iri, neminemque poſt iuſtificationem falſam, cor ſuum immaculatum conſervare poſſe? Ipſe non minus atque reliqui Auctores ſacri frequen- tiffime inculcant, quod filii Dei, hoc eſt, qui ex Deo per generationem novam renati ſunt, in iudicio Dei ſubſiēnt, quodque ſanctissimas ejus voluntates obſeruent. u. t. λ.

Disqui-

Disquisitio hujus loci.

1. Quando Auctor ad probandam thesin, quam concessit, *neminem ante regenerationem non peccare*, etiam ejusmodi loca Scripturæ adducit, quæ etiam de statu regenitorum agunt; posset quidem hoc argumentum valere, tanquam a minori ad majus, scilicet cum regeniti peccent, multo magis peccare irregenitos. Sed hanc illationem is nequaquam intendit, id eoque paralogismum committit, quo statum unum cum altero confundit, quando existimat, singula loca agere de non renatis. Ubi omnium minime locum Joanneum 1. Jo. I. 8. de non renatis explicare debebat; quemadmodum universus ejus contextus indicat.

2. Ista obtestatio ad lectorum conscientiam directa est supervacua; quandoquidem res distinctas confundit, & ea quoque, quæ neganda non sunt, negat. Non est quæstio, an regenitus se quotidie iniquitatibus involvat? sed: anne adhuc in ipsa anima malæ concupiscentiæ radix, seu peccatum originale, variis ipsum modis solicitans, sit superstes? Id quod negat Poiretus. Verbum *justificatumiri* ipsum hic non solum de renovatione, sed de ejusdem quoque consummatione, perperam accipere, res ipsa indicat.

3. In similitudine ab *ambulatione* & *casu* petita nova est confusio. Nam aliud est *non cadere regenitum*, seu in gratiæ statu perstare, aliud, ipsum *non peccare*, & in se non amplius habere, quod impugnet, & quod expurget.

4. Quæ cum ita sint, cœcus plane & inconsul-

D

tus

tus est iste abominationis zelus, quem Auctor sub loci finem effundit. Utinam istum in senectum ipsum, sumique Scripturarum abusum & neglectum manifestissimum, convertisset!

5. Sane luce meridiana clarius est, locum Joanneum agere de iis, qui nec in corruptione, nec circa conversionis initia amplius haerebant. Salomonis vero sententiam esse generalem, & formulam precatonis, remitte nobis peccata nostra, a Christo discipulis suis omnino in statu gratiae praescriptam esse, liquet e demonstratione Sect. I. & e discipulorum statu. Eadem est ratio loci Davidici. Locus Salomonis alter, qui de poenitentibus agit, vindicti non eget; uti nec reliqua loca, in luce sua per se posita.

Locus VII. ibid.

Iesus Christus autem ubi vult, ut Deum indefinieremus; remitte nobis peccata nostra, eone voluit unquamque docere, ut singulis diebus peccet, quo preces illas vere fundere possit quotidie? Nonne qui Deum amant sufficit se, dum in tenebris essent Deique inimici, peccavisse, ut & propria peccata deprecentur tempore fidelitatis suæ, quotiescumque præteritos lapsus recognitant, veriti ne ad eos redeant nisi memoriam eorum diligenter servent; tum ut pro aliis peccatoribus hisce verbis orient, utut ipsimet forte sine peccatis sint? Quomodo vero Iesus Christus voluisse nos eadem in oratione Deum implorare, ut faciamus voluntatem ejus in terris, quemadmodum Angeli eam faciunt in celis? Illene in eadem hac oratione petitiones secum invigem

cem pugnantes nobis praescribere voluit? illene, quod ad ultima hæc verba attinet, nos petere jussit impossibilia, & quæ largiri nobis nollet aut non posset; aut denique sic orare, ut spes nulla sit ea, uti desideravimus, impetrandi: quod quidem hic fieret, cum petimus, ut voluntatem Dei exsequamur perinde arque Angeli, hoc est, ad minimum, ita ut novis peccatis Deum non offendamus?

Disquisitio hujus loci.

1. Animadverxit Auctor, verba Christi de injuncta discipulis suis peccatorum deprecatione, sibi maxime esse contraria. Unde eorum corruptelas seorsum est molitus, sed quam infelicissime, uti nunc paucis videbimus.

2. Jesus Christus ubi vult, ut Deum indefinenter invocemus: *remitte nobis peccata nostra*, nequaquam voluit unumquemque docere, *UT singulis diebus peccet*, quo preces illas vere fundere possit quotidie: quam ineptissimam consequentiam Auctor non sine detorsione iis, qui *avapagnoſav* haud admittunt, tribuit: sed docere voluit, *QVOD singulis diebus peccent*, id eoque deprecatione egeant.

3. Verba Christi de peccatis status præteriti, quæ jam dudum remissa sint, explicare, est eorum sensum repugnante grammatica & logica naturali ad perversem hypothesin suam infletere, & hac ratione petiti principii sophisma committere. Interea lubens accipio, quod hic dari video, scilicet deprecationem istam cadere in regenitos. Eadem est sensus detorti *ερθλότης*, quando verba ista ad deprecationem peccato-

D 2
rum

rum ab aliis commissorum, propria culpa plane negata, detorquentur. Et quomodo ad hanc sententiam quadrarent verba reliqua relativa: *sicut nos remittimus debitoribus nostris?* Num de hoc peccantium actu alieno precantes certi esse possunt? Si vero incerti sunt, immo non raro contrarium in iis vident, eadem incertitudo, aut negatio, vi relativæ locutionis, in suam ipsorum depreciationem ex parte Dei recidit. Miror, virum doctissimum hunc suum labyrinthum non vidisse. Quod tamen non sine hæsitatione aliqua hypothesin suam defenderit, vel inscius prodidisse videatur per particulam *fortasse*, verbis de *ἀναμερησίᾳ* insertam. Dicit enim: *utur ipsis met FORTE sine peccatis sint.*

4. Et quanta quæsto non est *ἀσυλλογισία*, seu quantus paralogismus, ita argumentari: Christus præcepit regenitis precari, ut voluntas Dei fiat in terris, sicut fit in cœlo a sanctis angelis. Ergo dixit, regenitos esse sine peccato, quia angeli in cœlo non peccant. Certe talia tantum indicasse, est refutasse.

5. Et in argumento hoc inepto sibi ipse adeo placuit Auctor, ut non dubitaverit isti jam erotematice proposito aliquot adhuc interrogatiunculas subiecte: *Illene in eadem hac oratione petitiones secum invicem pugnantes nobis prescribere voluit? n. τ. λ.* Quasi vero non multo magis ipsi hoc argumentum possemus opponere & dicere: Christus in preicatione quinta supponit regenitos adhuc habere peccata, ideoque ipsis eorum depreciationem injunxit. Ergo in verbis preicationis tertiaræ, seu membro preicationis tertio, de voluntate

luntate ejus in terris perficienda, quemadmodum in cœlis fiat, iisdem nequaquam ἀναπτυξαν poruit tribuere. Quod si negasset Poiretus, suis ipsi verbis respondisset: *Itane Christus in eadem hac oratione petitio-nes secum pugnantes nobis praescribere voluit?*

6. Et quam versipellis hæc non est pugna, evangelicæ veritati opposita? Locum enim Auctor his concludit verbis: *Voluntatem Dei exsequamur perinde atque Angeli, b. e. ad minimum ita, ut novis peccatis Deum non offendamus?* Hic videmus ipsum remittere a rigore suo, & tamen in eadem persistare sententia. Aliud enim est, ita esse ἀναπτυξαν, ut nullum amplius peccatum, e residua intra nos ipsos mala radice propul-lulans, aut nos sollicitans, habeamus; aliud est, *pec-
catis novis*, nimirum contra conscientiam & data opera patratis, *Deum non offendere*.

7. Miror, Auctorem conscientiam habuisse adeo confopitam, ut e sua ipsius experientia de peccati reliquiis secundum Scripturam sacram non didicerit re-etiū sentire. Quæ ἀναπτυξαν persuasio certe unum e gravissimis ipsis peccatis fuit, in primis cum eam non incluserit domui suæ, sed publico scripto divul-gatam per christianum orbem volitare fecerit, verita-tem evangelicam eadem impugnans & pharisaicum pseudomysticorum tumorem insigniter adaugens.

Locus VIII. ibid. p. 562.

*Tandem ubi Joannes ait, quod nos ipsos fallamus,
si dicamus, nos peccatum non habere, perspicuum cer-te est,*

te est, eum loqui de peccatis admissis ab homine dum adhuc
in tenebris esset (1 Job. I. v. 8. & 10.) extra communionem
cum Deo, & purificationem per sanguinem Filii sui. Ita
enim se ipsum de tempore præterito interpretatur, additque
verbis disertis (1 Jo. I. v. 6.) quod quicunque glorietur com-
munionem sibi esse ac societatem cum Deo, & nihil
ominus in tenebris ambulet, mentiatur. Idem ait, (1
Job. II. v. 5.) quod ista omnia scribat, ut non amplius pec-
cemos; quodsi ante hac peccaverimus, Jesum Christum
nobis Advocatum esse atque Intercessorem coram
Deo; item quod ex hoc signo sciamus, utrum recte eum
cognoscamus, (1 Job. II. v. 3.) si mandata ejus observe-
mus, quodque amor Dei hac ratione perficiatur comple-
turque; quod (1 Job. III. v. 6. & 9. & cap. V. v. 18.) quis-
quis in Deo maneat non peccet: quod qui ex Deo
natus sit, peccatum non admittat, nec admittere pos-
sit; quoniam semen divinum in eo manet: radix ejus
bona est atque divina, ex qua non nisi merum bonum prona-
ficitur. Novi equidem adesse nonnullis glossemata sua, qui-
bus locum hunc eludant, eumque intelligere velint de certo
quodam peccato in Spiritum S. quod, si ipsos audias, non mi-
nus rarum sit atque insitutum, quam monstrata quedam non
nisi in novo orbe, & raro quidem, obvia. Verum ex tota
serie verborum Joannis pater, eum loqui de omni peccato con-
tra legem admisso, de omni inclinatione atque opere, quod
cum divina justitia non consentiat, de omni motu charitati
contrario, verbi gratia de odio fratri sui, & que his simili-
lia sunt, que profecto in regeneratis totidem peccata in Spi-
ritum S. sunt, si recte sciamus, in quo peccata ea consilant,
quod alibi (Oecon. Lib. III. Cap. IX.) explicare conati su-
mus.

*mus. De ipsis omnibus & singulis inquit Apostolus: Qui-
cunque ex Deo natus est, is non peccat: siquidem fe-
men Dei in ipso manet: neque peccare potest, quoni-
am ex Deo natus est. Nolo examinare interpretationes
eorum, qui verba ista, peccare non potest, idem dicere
vellent atque haec, in peccato, quod committit, decedere
sive mori non potest. Ea miki indigna videntur quae re-
futentur.*

Disquisitio hujus loci.

I. Joannem c. I, 8. loqui de peccatis admissis ab homine, qui adhuc in tenebris est, falsum est. Ita enim nequaquam se ipsum interpretatur vel in antecedentibus, vel in consequentibus.

*Non in antecedentibus v. 6. ubi negat, communio-
nem illi esse cum Deo, qui adhuc in tenebris sit. A-
liud enim utique est, adhuc esse in tenebris, tanquam in
elemento & statu suo ac principio dominanti, quod
non renatorum est; aliud est, adhuc tenebrarum, seu
peccati, radicem intra se habere, at non amplius domi-
nantem, sed tantum sufficientem & sollicitantem: qui sta-
tus est regenitorum. Quam distinctionem admitten-
dam esse, tanquam nativam & rei ipsi convenientissi-
mam, docet res ipsa & phrascologia biblica frequen-
tissima, quae regenitis principium & statum lucis, &
nihilo tamen minus adhuc etiam peccati, tanquam te-
nebrarum, reliquias tribuit, exigitque, ut has magis
magisque expurgent: quemadmodum vel ipsis cate-
chumenis, & iis omnibus, qui mediocriter tantum in
lectione Sacrae Scripturæ, in primis epistolarum Pauli,
versati*

versati sunt, est notissimum, nec probatione nunc e-
get.

Nec in consequentibus. Nam uti apostolus v. 10.
præteriti, sic v. 8. præsentis temporis ~~āvauaptnolav~~ ima-
ginariam refellit. Et quando idem c. II, 1. scribit, se
scriptione sua id agere, ut ne amplius peccent rege-
niti, id intelligit de peccatis, quæ conscientiam va-
stant, inducta status gratiæ jactura. Quando autem
Auctor noster voces Apostoli sequentes: & *si peccave-
rimus*, interpretatur de tempore præterito addita par-
ticula *antebac*, istarum sensum corrumptit, simul com-
missio vitio, quod in argumentando *petitionem principiis*
vocabamus. Nec quicquam lucratur commate tertio c.
II. siquidem aliud est *mandata Dei servare*, aliud, esse
sine ullo peccato & inherente ac solicitante concu-
piscentia. Illud, non vero hoc, Apostolus regenitis
adscribit. Quem hujus loci sensum inter multa alia
præcipue locus Pauli Rom. VI, 11. 12. declarat; ubinon
ait Apostolus: *Vos, qui cum Christo peccato mortui esis,
non amplius ullum peccatum in vobis habetis: sed: ne do-
minetur peccatum in mortali corpore vestro, ut illi obedi-
atis in concupiscentiis suis.* Tribuit ergo Paulus regenitis
concupiscentias, sed abesse vult dominium. Locus
quidem ille 1 Jo. III, 6,9. plus imperitis speciei pro hy-
pothesi Poireti habere videtur. Sed revera nihil illi
affert præsidii: quandoquidem *peccatum facere* phrasí
Joannea est solicitanti concupiscentiæ ita obedire,
ut illi dominium rursus concedatur, excusso gratiæ
dominantis principio. E semine divino, tanquam
bona radice, nil nisi merum bonum pronasci, verissi-
mum

mum est; sed falsum, præter hoc bonum ac principatum tenens semen, non aliud malignum peccati originalis semen intra ipsum hominem adhuc superesse. Atque ita regenitus non peccat aut peccare potest, quatenus est regenitus, sed quatenus adhuc est peccator, aut quatenus pro delicti gravitate gratia statum deserit. Quæcum ita sint, manifestum est, loco huic omnino suum constare sensum genuinum, nec opus esse, ut quisquam ad inania illa, quæ Auctor sub finem commemorat, glossemata confugiat.

OBSERVATIONES
ad tractationem materiae
SERVATIONE PRÆCEPTORUM DEI,
ad doctrinam de Regeneratione ab
Auctore p. 562. seqq. relatam.

Multa hic occurunt recte, immo præclare, dicta, in primis ea, quæ securitati Epicureæ, & iis opposita sunt, qui ex ipso docentium numero pseudodidascalia sua eidem patrocinantur, & speciatim imbecillitatem humanam in peccandi licentiam, & spreta verae conversionis nostrique abnegationis excusationem, allegare solent.

2. Auctor etiam semel atque iterum ea tradit,
E quibus

quibus ipse hypothesis suam de *avocatnōla regenitorum* non parum infringit.

3. Sed in ea tamen simul persitat, eandem passim urgens & prosequens, et si sine ulla idonea probatione, perfectione non solum *parium*, sed *graduum* quoque, exacta; quam quidem distinctionem totidem verbis ipse non adhibuit.

4. Statim sub tractationis initium non parum aberrat a veritate, quando homines in quatuor classes ita disponit: *Primi corruptioni dominant voluntario adhuc immergi jacent. Alteri conversionis sua voluntatem atque initia habent. Tertiū ad justificationem proxime accedunt: quarti denique regenerati sunt: sed & hi triplices sunt, puta, vel infantes nondum habitu firmati, vel adulti, vel homines robusti in Christo.* Ubi pro eo, quod regenerationem & justificationem ad conversionem referre debuisset, non solum justificationem conversioni, sed justificationi etiam regenerationem ordine temporis postponit, & tamen regenitos & homines robustos in Christo distinguit, ipso etiam sensu communi in hac partitione posthabito. Conf. §. XLIII. p. 576. ubi hos ponit gratiae & restitutioonis gradus: *Conversionem, purificationem, justificationem, regenerationem*, frustra ad Pauli exemplum & locum Rom. VII. provocans.

5. Opera ipsius Christi respectu fragilitatis cum operibus sanctorum male conjungit, §. XXXIX. p. 574.

6. Ce-

6. Ceterum in materia de servatione præceptorum Dei lectorem remitto ad librum Germanicum, *Apologetische Erläuterung der neuern Historie bey der Evangelischen Kirche p. 510. seqq.* ubi ostenditur, rem omnem notione simplicissima redire ad hæc tria momenta: 1) *Non ex naturæ, sed gratiæ viribus:* 2) *non perficie,* perfectione graduum, *sed sincere tamen, perfectiōne partium:* 3) *non ad ullum meritum propriæ sic dictum, sed in nomine Jesu ad Dei gloriam; præcepta Dei & regenitatis servari:* & deinde additur, tria hæc momenta implicite adesse in conditione subjecti, seu hominis regenit ac iustificati.

7. Caput X. integrum agit de perseverantia eo sensu, qui non minus securitati Epicureæ, quam desperationi oppositus est. Quæ tractatio multa continet egregia & solida, ideoque lectione est dignissima. Hanc vero ipsam tractationem continuatam, aut potius sub nomine providentie & prædestinationis ex instituto resumtam, videoas integro libro Oeon. VI. qui itidem cum salis docimastici usu lectus multa exhibet egregia & natatu dignissima, in primis ea, quæ absoluto prædestinationis decreto opposita sunt.

PRAESES RESPONDENTI

S. D. P.



Lusatia ad Fridericianam
nostram studiorum caufsa mis-
sus, vir juvenis ornatisime, te-
stis es autócratice & autócrato-
rum, quam carum nobis sit evange-
lice doctrine depositum. Abunde etiam cum
reliquis nationis Saxonice commilitonibus co-
gnovisti, non aliud hic pietatis ac sanctimonie
studium commendari, quam quod purioris do-
ctrinae fundamento innititur. Et cum inter a-
lia universum hoc Dissertationum Anti-Poire-
tianarum institutum huc tendat, tibi etiam u-
nam publicis responzionibus defendendam adse-
rere voluisti, publico hoc documento, quantum
profeceris, declaraturus. Stabis itaque in actu
isto

DISSERTATIO QVARTA.

37

isto ita, ut auditorum fert exspectatio, & mea moderatoris consuetudo, qui Respondentes meos dintius desertos sue ipsorum fiduciae suisque viribus permittere soleo. Ita vero te per Dei gratiam staturum esse, eo minus dubito, quo magis mibi tua in disputando habilitas, prater nuperum publicae oppositionis actum, in privatis exercitiis, quorum bina singulis hebdomadibus habentur, perspecta est.

Ad cathedram quidem scholasticam ut tibi ipsi, sic mihi etiam, videris natus, ideoque ius, quæ eam ornant, studiis non parum impendit opere, nec exiguum statuis pretium: interea tamen sacrosanctam Theologiam, cum linguarum sacrarum & orientalium adminiculis, pro dignitate ac utilitate sua, non immerito tractas ut ἔγειρον tuum, mea ipsius, si allegari meretur, juventutis exemplum fecutus. Qui enim Gymnasio alicui praest, nec animum theologicis studia, & sancta eorum praxi, bene habet excusat.

E 3 tum,



tum, boni Rectoris nomen locumque neutquam tuerit. Qui vero utroque, scientie & vite sanctioris, respectu bonus est Theologus, in frequentiorum classium schola de ecclesia Christi, [ut de republica nihil dicam] bene merendi campum habet longe ampliorem, quam plurium ecclesiarum antistes in ephoria ecclesiastica, et si haud exqua. Schola enim regno Christi non tantum milites, sed duces quoque militum, seu non oves modo, sed ovium etiam pastores, format, quod bene affectum est, Academie perficiendum tradens. Huc accedit, quod in phrontisteriis scholasticis, si non sapient, certe tamen quotannis, discipulorum alii aliis sufficientur, & hac ratione, pro aucto auditorum numero, ipsorum, etiam magistrorum meritis auctis, inde frustis in ecclesiam & rem publicam amplissimus redundet.

Quae qui recte perpendit, non potest non, mis-
sis spretisque vulgi opinionibus, in justo habere
pretio

pretio vite genus, quod tanta sese utilitate,
immo necessitate, commendat. Nemo autem
ad illud se parat, aut parandum permittit, di-
gine, nisi qui sincerum Domini timorem pro stu-
diorum suorum centro habet, & a vanitate ac
ostentatione litteraria [qua ipse sic dictus pe-
dantismus est] alienus, in litteris, quod soli-
dum, maturum ac genuinum est, acquire-
re ac perpolire laborat. Et ex isto ~~genere~~ principio
principio efflorescit scopus ac studium animas
immortales, qua jam in ipso sacro baptisma
te Christo consecrata sunt, ad Christum addu-
cendi. Quod institutum quando in re schola-
stica ~~egor~~ primarium esse coepit, omnem omnis
opera reliqua peripheriam ita dirigit, ut hæc i-
psi, tanquam centro, rectis respondeat lineis,
quemvis inde successum habens.

Eiusmodi scholastice juventutis magistri,
Deo ac hominibus probati, ideam ac exemplar
præter alios Lusatia vestra, carissime GUDI,

præct-

principue habuit in HOFMANNO, tñ vñ èv á-
yiois; viro probis omnibus, & mihi etiam, quo-
cum ipse aliquod litterarum commercium, multo
autem major animi ac studiorum consenso in-
tercessit, desideratissimo. Et quid de aliis di-
cam, cum tibi ipse gratulari possis de parente
adhuc superstite, qui non de scholaistica minus,
quam ecclesiastica re, eadem, quam ante deli-
neavi, via optime aput Laubanenses meritus
est, de ecclesia [ad quam a schola bene recta
transitus semper est felicissimus] subinde pre-
clarius meriturus, si Deus, quod ex animo pre-
cor, ipsum tibi ac tuis, suoque gregi frequentis-
simò, per multos adhuc annos salvum ac incola-
mem servaverit. Cujus spem ut impleas, immo
etiam superes, dabis operam, nunquam com-
missurus, ut eorum, que studiorum ac vita
autægia & èvangelia requirunt, quidquam in-
te justè desiderari possit. Dabam Hal. Saxon.
Idib. Febr. MDCCXXI.

73 5225

ULB Halle
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13


Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches



42

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM
DODECADIS POSTERIORIS
QVARTA,
DE
REGENERATIONE,
NEC NON DE PERFECTIO-
NE GRADUUM, SEU
ἀναγέννησις ABSOLUTA, RE-
GENITIS PERPERAM
TRIBUTA.

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

die Febr. hujus M DCC XXI. anni

SVB PRÆSIDIO

D. JOACHIMI LANGII,
S. THEOL. PROFESS. ORDINARI,

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

GOTTLOBIUS FRIDERICUS *Budei*
LAUBA HEXAPOLITANUS,
S. S. THEOL. ET PHIL. STUDIOSUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

